



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exetasis Testimoniorvm, Qvae Martinus Bucerus ex
Sanctis Patribus, non sanctè edidit**

Gardiner, Stephen

Lovanii, 1554

Typographvs Candido Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29410

TYPOGRAPHVS

CANDIDO LECTORI.



Vim ad me per Thomam Theoboldum
virum præclarū & magnæ autoritatis ante
annos propemodum sex Reuerendissimi
Præfulis VVintonien. vir & in re Theo-
logica & linguarū peritia facile principis liber delatus
esset, cui titulum dicitur fecit, eo mandato, ut ad Mar-
tinū Bucerū primo quoq. tempore Argentoratū transmis-
teretur, quo ipse ex autographo cognosceret, quid illi à
Præfule inuictissimo sub iectū, ut tū videbatur, extremæ
fortunæ rescriberetur: simulque intelligeret captatas
sibi temporis occasiones nihil quo minus condignū re-
sponsum acciperet profuisse: Opus enim istud per ea tem-
pora à D. VVintonien. compositum est, cum certus de
carcere ob constantiam defensæ fidei, non nisi extrema
in animo volueret, nec tamen respondendi voluntatem
ullius periculi metu relaxaret: Imò qui eo ipso vide-
retur mortem sibi accelerare: Nihil enim odiosius ty-
rannis in ipsum saeuientibus facere poterat. Ceterum
bonorum virorum consilium fuit, ut opus istud (ne au-
thorem grauaret, quem iam in carcere audiebant) usque
ad quietiora tempora supprimeretur. Quanquā ille secu-
rus sui & martyrij cupidus nō desineret in vinculis eru-
ditissima quidē volumina, sed perinde tyrannis odiosa

A i

conscriptere. Inter quae sunt libri duo de Eucharistia,
quos iudicibus pro tribunali in reatu capitum exhibuit.
Sed tamen non potuere boni viri non pro eius salute ans-
xij esse, qui pro se omnino omnem curam abiecerat, li-
brumque omnino tum temporis aeditum volebat. Quod
igitur nunc demum liber exit, nostra culpa est, vel po-
tius amicorum cautela. Desfloruit quidem gratia tem-
poris, quod in ipso agone, & (ut hic dicam) inter vulne-
ra monomachie non sit aeditus. Tunc enim quasi cygnea
cantio potuit videri, quum ultima vox disertissimi Episco-
pi in ista desinere putabatur. Sed tamen usus libri idem
est. Cognoscet enim aequus lector quoties Bucerus in
sensu literarum impingat, quoties vim sententiae, quoties
fraudes apparat. Simulque mirabitur eruditissimi Epis-
copi in tantis periculis ocium animi, quod quum causa
capitis ei meditanda esset, ad extranea studia, eius peri-
culum aggrauantia, mentem applicare potuerit.

*Vale Louanij. Postridie Nonas Aprilis. Anno d
Christo nato M. D. LIII.*